



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Directorivm Sacerdotale & Clericorum Specvlvm Insigni Pietatis Ac Devotionis Supellectili exuberans**

**Kinckius, Matthias**

**Coloniæ, 1662**

De defectu vini,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46628](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46628)

& prosequatur Missam : ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus servetur ordo.

7. Si hostia consecrata disperat, vel casu aliquo, ut vento aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri; tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo, *Qui pridie, quàm pateretur, facta eius prius oblatione, ut supra.*

## [ D E D E F E C T V V I N I,

### IV.

1. Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus purridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum; non conficitur Sacramentum.

2. Si vinum cœperit acescere, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, aut rosacea, seu alterius distillationis; conficitur Sacramentum, sed cōficiens graviter peccat.

3. Si Celebrans ante Consecrationem Sanguinis, quamvis post Consecrationē

G 7

Cor.

Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in Calice, debet statim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo &c.*

4. Si post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, & consecret, resumendo à verbis prædictis, *Simili modo.*

5. Si hoc advertat post sumptionem corporis, vel huiusmodi aquæ; apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in Calice, offerat utramque, & consecret, & sumat, quamvis non sit jeiunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, & proseguere cætera.

6. Si quis percipiat ante consecrationem, totum vinum esse acerum, vel aliàs corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum

sum

fitum vinum , vel solum aquam fuisse appositam in Calice.

7. Si autem Celebrans ante consecrationem Calicis , advertat non fuisse appositam aquam , statim ponat eam , & & proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem Calicis , nullo modo apponat , quia non est de necessitate Sacramenti.

8. Si materia quæ esset apponenda , ratione defectus vel panis vel vini , non posset ullo modo haberi ; si id fit ante consecrationem Corporis , ulterius procedi non debet : si post consecrationem Corporis aut etiam vini deprehenditur defectus alterius speciei , altera jam consecrata : tunc si nullo modo haberi possit , procedendum erit , & Missa absolvenda , ita tamen ut prætermittantur verba , & signa quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquamdiu haberi possit , expectandum erit , ne sacrificium

remaneat imperfe-  
ctum,

DE